Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Pilatus uero dicebat eis: quid enim male fecit. At illi
magis clamabant crucifige eum, hoc mattheus
non dixit. sed quoniam dixit; Uidens autem pilatus quia
nihil proficeret: sed magis tumultus fieret, Dixit
etiam cum lauasset manus coram populo ut innocentem
se a sanguine iusti significaret, Quod item et marcus
et alii tacent: satis ostendit etiam mattheus egisse
praesidem cum populo ut dimitteretur. quod breuiter
significauit marcus in eo quod refert pilatum dixisse:
quid enim male fecit; Deinde sic etiam ipse
concludit: quae per pilatum cum domino gesta sunt;
Pilatus autem inquit uolens populo satisfacere:
dimisit illis barrabban, et tradidit ihm flagellis
caesum ut crucifigeretur, haec apud praesidem
gesta narrauit marcus; Lucas uero apud pilatum
gesta sic narrat; Coeperunt autem accusare
illum dicentes. hunc inuenimus subuertentem gentem
nostram. et prohibentem tributa dari caesari:
et dicentem se xpm regem esse, hoc illi duo euangelistae
non dixerunt cum tamen dicerent quod eum accusabant,
Ergo iste etiam ipsa crimina quae falsa obiecerunt
aperuit, Tacuit autem quod ei dixit pilatus:
Non respondis quicquam, Uide in quantis te accusant;
Sed plane sequitur: et dicit quod etiam illi dixerunt.
Pilatus autem interrogauit eum dicens; Tu es rex
iudaeorum. At illi respondens ait tu dicis;
hoc autem mattheus et marcus commemorauerunt
antequam dicerent compellatum ihm: quod eis
accusantibus non responderet. Nihil autem in
ter est ueritatis quo ordine lucas ista retulerit;
Quemadmodum nihil interest. si alius aliquid tacet
quod alius commemorat. quemadmodum inconsequen